



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Conc. II. Dom. II. Advent. Curionum Cura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONC. II.

DOM. II. ADVENTUS.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11.

Curionum Cura.

Quantum conjicio, mecum contenti non sunt Audi-
tores mei. Aliis nuper loqui visus sum accentu
gravi & aspero, aliis nimis acuto. Ut quid ad hos
& illos Germaniæ inquilinos devolvitur, quod
actum legimus in Hispania? ut quid simplex & in-
vestis veritas producit? peplò potius nuditas tegatur; sic
passim moris est hoc ævò &c. Hæc si vera sunt AA. cogor hodie
obiter & perpauca hisce Momis occurrere, antequam suis
è profceniis extraham recentem tragœdiam. Ita qui momizant,
verè ignorant, quam arduum munus Sacris animarum Concio-
nibus sit à justo Numine commissum; id ritè si expleverint,
mercedem à Deo recipient largissimam; sin minùs? væ multi-
plex in eos detonat Scriptura. Positus est Joannes hodiernus
à Deo velut exemplaris forma & formalis Idèa, quam omnes
Verbi Divini Præcones & animarum Curiones (quæ à se mutuò
non debent separari) omni studio satagant æmulari; sit adèd
quavis Concionator vita & moribus alter quasi *Joannes præ-
dicans in deserto*; extra cathedram suis cum AA. pauca loqua-
tur, neque ulli se reddat familiarem; nimia enim familiaritas
contemptum parit, & omnem concionis fructum pessumdat;
sobriam semper ac labis puram vitam vivat, Deò minimè in-
dignam, cujus Vicarium agit. Quidquid linguâ enuntiat,
id manu sua per operum pravitatem ne corrumpat; sic enim
quas animas dextra attrahit, sinistra iterum repellit. Omni
hominum careat respectu, nec tantum Judæis aut plebeis, sed
ipsis etiam Herodianis & Pharisæis veritatem prædicet Evan-
gelicam. Id, quod hodie Christus ipse renuntiari voluit Joanni,

A.
Lubrica &
periculi
plena ob-
ligatio Sa-
crorum
Curionum.

B.
Joannem
sequantur
Ecclesiastæ

B
omni-

omnibus verbi Divini Præconibus proprium fit quartò ut ajunt modò: *pauperes evangelizantur*, ita quidem, ut nulla fiat distinctio Græci aut Hebræi, nec illis tantùm pauperibus, qui stipem legunt ostiatim, & senui salillò victitant, sed illis etiam, qui in spiritu & pietate, in amore Dei ac proximi, atque in aliis virtutibus grandem penuriam patiuntur, & verè *spiritu pauperes* proclamantur; tales *spiritu pauperes* sunt sæpè grandibus fortunis inclyti eucliones, magni Domini ac Domicellæ, virifeminae, Consules & Prætores, sacri & profani, Laici & Clerici, Ecclesiastici & Religiosi. Quisquis ex pulpito ad populum declamat, cum Paulo sibi (1) occinat fidenter: *sapientibus & insipientibus debitor sum*. Cujus rei? puræ veritatis omnibus & singulis sine respectu prædicandæ. Id nisi probè cordi habeat Ecclesiasticus præco, ac præsens debitum seriò expediat, sibi ultrò tragicum illud Pauli (2) evangelizet: *væ mihi si non evangelizavero!* væ mihi nisi sancta sanctè, Verbum Dei ad omnes candidè tractavero! væ mihi si magnatibus palpum obtrusero, plebem innocuam crisibus & minis perstrinxero! væ mihi, si tantùm placentia meis declamavero, si coquum adipalem sed informem egero, qui mulsò & saccharò cibos condiam, ollâ quæ acetum fundat, contritâ! væ mihi, si verborum inanium lenocinia sectatus, foscuculos seminavero, quos crastinâ videas *in fasciculos* (3) *alligari ad comburendum* Matthæo teste! Væ mihi, si non Dei, sed proprii nominis inanem gloriam, non animorum salutem, sed pinguem mensam, sed opimam merendam & vinò natantes culillos prensavero! væ mihi, si prurientes aures jocis scalpsero & facetiis; si arctam ad cælos viam pravis vitæ exemplis laxavero! væ mihi, nisi seriò primas vitiorum radices, proximas peccandi occasiones excaudicavero! væ mihi nisi sanctam veritatem omnibus promiscuè prædicavero! Opt. AA. ubicunque in scripturis tragicum alteri *væ* intentatur, ibi juxta utrumque (4) Cornelium à spiritu S. æterna damnatio signatur. Scripturæ Sacræ omnia pænè oracula consonant Divorum Patrum. Ut tempori parcat, duos sisto ex innumeris. Primus sit S. Prosper (5) magni Patris Augustini flexilis Discipulus. Alter sit S. Greg. Pont. Rom. & Ecclesiæ Doct. D. Prosper de Concionatorio munere sic perorat:

(1) Rom. 1.

(2) 1. Cor. 9.

C.
Væ pravis
verbi Præ-
conibus
intentatur.

(3) Matth. 23.

D.
Probatur
ex Script.
& PP.

(4) Cornel
à lap. in Ep.
ad Cor.
Cornel.
Janfen. in
Evang.
(5) D.
Prosp. l. 1.
c. 10 de vir

orat : Cui dispensatio Verbi Divini concessa est, etiamsi sanctè vivat, tamen perdite viventes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente pereunt, perit; & quid ei proderit, non puniri suo peccato, qui puniendus est alieno? Adhuc clariùs idem Prosper perorat, cum Ezechielis (6) vaticinium accurato examine librat. Tertio Capite singulos Verbi Præcones his acrimoniis affatur: *fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël; si impio non locutus fueris, ut se ab impietate sua custodiat, & ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Hanc amarulentam crisin laxis & languidis concionatoribus impertitam sic explanat citatus Prosper: *hoc est dicere, si ei peccata sua non annuntiaveris, ut ab impietate sua convertatur & vivat, te, quia eum non increpasti, & simul ipsum, qui te tacente peccaverit, flammis perennibus perdam.* Prò! quàm horridis vocibus, quàm enormibus minis sub æternæ salutis jaçtura omnibus Ecclesiasticis Verbi Divini præconium inculcat? *ecquis, obsecro, (verba iterum recito D. Prosperi) tam saxei, tam ferrei erit pectoris, quem hac sententia non terreat? ecquis erit tam alienus à fide, ut, si huic sententia credat, non totus illicò contremiscat?* Pari acrimonia zelò flaccidos, & spiritu emedullatos Præcones S. Pater Gregorius (7) exagitat: *nos, inquit iste, qui Sacerdotes vocamur, super ea mala, quæ propria habemus, etiam mortes addimus alienas; tot enim occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* Homilià septimâ in illos totam crisin suam exonerat, qui totius anni decursu, dives Ecclesiæ patrimonium sibi vendicant, suas interim oviculas raro per annum vel nunquam, Verbi Divini pabulò è cathedra refocillant, sed arduum hoc munus in aliorum humeros transportant, qui subinde suam ultimò manè manicâ excussam homiliam (si tamen hoc nomen mereatur deproperatum chaos) sine nervo, sine spiritu & fructu despumant, quia sciunt, se tantum operam præstare vicariam, nullis legibus ad id muneris obstricti, quibus tamen perpetim obstrictus est animarum Curio. Quid ergò de mutis hisce Pastoribus sentit Gregorius? audiamus ipsum (8) denuò Patrem: *quid agimus, ô Pastores? mercedem consequimur, & tamen operarii non sumus.* Pen-

(6) Ezech. 3

(7) Greg. in Ezech. hom. 11.

(8) Idem hom. 7. in semus, l. c.

semus, cujus damnationis sit, sine labore mercedem laboris percipere. Hem! ex oblatione fidelium vivimus! sed quid pro animabus fidelium laboramus? vult dicere S. Pater, arctam aliquando rationem ad supremi Judicis urnam à taciturnis hisce Curionibus exquirendam; at quam dabunt requisiti? an capitis vertiginem? an impotentiam? an sacri laboris immensitatem? cur ergò pedum sibi vendicant pastorale? cur munus adeunt, cui expediendo pares non sunt? Innocentius Tertius Pontifex Romanus, prout recitat (9) Oliva, etiam Episcopum eumque Brixiensem denuò in ordinem redegit exauctoratum, eo ex capite, quòd Verbum Dei proprio marte nullibi prædicaret. Quid cum infimæ sortis Curionibus facturum creditis Innocentium, si quos notasset hoc Parochis proprium munus elusisse, subterfugisse? Ex his, ni fallor, abundè patet, quàm arduum, quàm lubricum munus adeant animarum Curiones; accidat subinde ut hoc munus suum luridè obeant vel oscitanter, ocius in eos cum scriptura etiam SS. Patres *ve* fulminant. Quid hoc *ve* importet, jam supra binis ex Corneliis dictum est. *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter* (10) ita legunt locum citatum 70. Interpretes, *non fraudulentè*. Utinam, ah utinam hæc bruta tantùm fulmina essent; sed multiplex experientia hanc in horam contrarium ostendit. Multi sanè cælò, cœlique gloriâ exciderunt, quòd Verbò Dei in pulpito abusi, non animarum lucrum, sed nescio quid ex obliquo quærerent, plùs hominum quàm Dei gratiam prensando, ad palmaria suorum flagitia conniverent, quibus non rarò ipsi etiam medicaltri sordebant.

E.
Innoc. 3.
Ep. ex-
auctorat.
Cur?
(9) Oliv.
Conc. 3.
Op. nov.

(10) Jer.
48.

F.
Hæcenus
dicta etiam
tragicò
Exemplo
firmantur.
Hist.

Placet, ut hæc omnia firmò experientiæ argumentò confirmem? votis pareo, & non tam auditoribus meis, quàm omnibus animarum Curatoribus tragœdiam exhibeo, quam probè capiant velim hi pariter & illi: hi quidem, ut intelligant, quàm verè dictum sit, ab ecclesiastico Veritatis cultu, à sedula scelerum correctione & extirpatione, à Zelosis concionibus horum salutem pendere; illi verò ut ne Sacros Curiones suos hircus oculis respiciant, multò minùs eis obloquentur, si munus suum probè adimpleant, sed hos potiùs flammea charitate sustineant, colant, foveant, & tanquam boni nuntii angelos

angelos evangelizantes pacem prædicent & extollant. Scripserunt hanc tragœdiam sat multi, ut de fide illius nequiquam valeat dubitari. Guil. (11) Baël, Jacobus (12) Hautinus, & Petrus (13) Doultreman, Belgæ. Alphonfus Andrada (14) Hispanus, & Joannes Nadasi (15) Hungarus. Hi tamen non uno eodemque calamô tristem hanc tragœdiam depingunt. Factam esse luctuosam catastrophem ante annos non ita multos, ait Nadasi. Modus controversitur; aliqui enim veri nominis apparitionem nuncupant, alii raptum vocant, quo uni tantum spectatori tragœdiam exhibuisse dicitur Divina Themis. Spectatorem hunc solus nominat Doultreman, *Martinum Gutierrez*, quem etiam domesticæ Sanctitatis titulô condècorat. Quo jure? ipse viderit. Hactenus certè nomen illud Divorum Cœlitum albo ab Apostolica sede nullibi vidimus insertum. Quantum conijcimus variis ex circumstantiis hic ipse Martinus fuerit Confessarius ejus, qui se Martino spectandum post mortem exhibuit; mortuus verò & post fata spectatus, Curio fuerit in vivis Ecclesiasticus, animarum Rector. Hunc Curionem sæpius quidem saniora docuit & monuit Martinus, hortatus eum identidem, ut Sacrum Curionis munus adamussim expleret; donis & talentis liberaliter è cœlo subministratis, ad Dei gloriam & plurium animarum salutem strenuè uteretur, vitam viveret sacro statui suo conformem, & quod vivæ vocis oraculô palàm ex pulpito AA. suos doceret, etiam factis firmaret; poneret factum Superis & mortalibus infestum, omnes potiùs humili obsequio & prompta charitate in Domino foveret, cum illis plùs ex Divino quàm ex politico spiritu amicè ageret ac paternè, suisque Verbum Dei sine ullo mortalium respectu prædicaret &c. Quam vitam duxerit Curio iste, ex hac ipsâ toties repetita correctione sat abundè redditur manifestum. Fuerit nempe illorum ex numero, quos S. P. Stridonensis (16) Pammachio suo gravi penicillo hunc in morem depinxit: *cum superbia propria sit demonibus, lascivia pecudibus, avaritia mercatoribus, invidia opificibus, ex his omnibus factum est monstrum, quod est malus Clericus.* Juxta hunc artificiosissimum Apellem jactabundo simul & auri sitientissimo spiritu, carneo simul & lusorio spiritu, guloso

(11) Guil.
Baël in
Cor, Cons.

(12) Jac.
Haut. in
Sac. Am.
Evch.

(13) Pet.
Doul. in
Am. Incr.

(14) Alph.
Andr. in
Operar.

(15) Jo.
Nad. in An.
Ang. Hebd.

33.

(16) S.
Hier. ep.
ad Pam.

simul & pseudo-politico Machiavelli spiritu infessus Curio ille, pluribus unâ flagitiis sordebat. Movit quidem omnem lapidem Martinus, ut tot flagitiis mersum orco subtraheret, & ad frugem revocaret; sed actum egit, quidquid egit; more politicis recepto verba dabat mellea, facta plumbea. Ibat in antiquam scelerum silvam sacro à tribunali regressus, & qui gibbosa humilitate, aurea Correctoris monita exceperit, ea redux sonante cachinno elusit. Non tulit ultrâ Deus tot sacrilegiis adauctam pravitatem. Ut malis omnibus finem imponeret, fatò inopinatò è medio sustulit, & repentinum funus fecit Curionem. Apoplexiâ tactus jam animam posuit, antequam ritè animam agere crederetur. Accitus properè Martinus, ut moribundo assisteret, jam antè intellexit, quò locò anima esset subitanè fatò extincti. Eò momentò, quò animam vomuit, videbatur Martino totum Musæum domi suæ in illustre palatium migrâsse, lumine plenum ac numine. Eum in ordinem disposita erant cuncta, ut crederet, iudicium huic loco decretum. Rectius sensisset brevem tragœdiam parari, cujus solus esset Martinus testis & spectator. Stabat hæc præter morem choragis usitatum quinque scenis. Primam muta eaque princeps persona mœstis nutibus expedit, quam modica sub finem vocula exceperit. Erat hæc persona teterrima umbra, nigra fuligine tincta, cujus aspectu arrecta surgant comæ, & vox faucibus hæreat. Hæc lævâ manu frontem atque oculos operuit, dextrâ verò exortam & flammis æstuantem linguam signavit, quasi diceret: hæc mali causa; hoc linguæ spiculò configi debebant ex cathedra notoriæ pravitates; id cum factum non sit, quòd iisdem flagitiis sordescerem, linguam & caput, totumque truncum focus corripuit, quem nulla ætas extinguat. Loqui tandem cepit hæc etiam umbra seu potius lugubri ululatu horridum ejulare quaternas duntaxat voces ex psalmis transumptas: *operuit confusio (17) faciem meam*. Horruit ad primam scenam Martinus, mox tamen animos ex mitiore spectaculo erexit. Genius vultu placidus umbram velut umbra corpus sequebatur, qui ut alteram hic loci scenam aperiret, Martino totam rei seriem detexit, & cujus hæc umbra esset explicuit, dixitque: en Pater, hic filius erat tuus, toties à te correctus, sed in idem semper lutum relapsus; egit anima-

(17) Ps. 68.

rum Curionem, qui rectius egisset subulcum. Ne plures animas perderet, hoc momentò è vivis rapi voluit in expiatum, & judicari, scelerum ultor Deus. Tu iudicium specta, & plures alios alterius damnò sanctoribus curis inflamma. His dictis tertia se aperuit scena eaque subtristis musica. Vidit ex alto Coelites Angelos unum in chorum conglobari, audiit unà mœlis vocibus 34^{um} Isaïæ Caput (18) decantari, *va pastoribus Israël! quod infirmum fuit, non consolidastis; quod agrotum fuit, non sanastis; quod contractum fuit, non alligastis; quod abjectum fuit, non reduxistis, & quod perierat, non quasivistis.* Heu! quàm tristibus modulis, quàm acerbis vocibus Iudicio prælusum est sequenti! quis ad præambula tam luctuosa mitem sententiam expectet? Quarta scena mox ipsum Iudicem Deum exhibuit pro tribunali sedentem, & manu sua trifulcū fulmen vibrantem; hic torvo quidem vultu præsentem umbram respexit, mox tamen os Divinum in illas Isaïæ (19) voces resolvit: *tacui semper, silui, patiens fui: jam sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.* (19) Isa. 42. Dicitum factum. Ultimâ horum syllabâ vix benè prolatâ, ex alto umbra fulminatur, terra panditur, & ab orci cerbero umbra seu rectius anima Curionis hauritur. Restat chorus, quò tota hæc tragedia claudatur. Quintam ergò scenam iterum coelici choraulæ formabant, qui unis denuò vocibus illud Isaïæ (20) reiterabant: *detracta est ad inferos superbia tua, gula, & libertas tua &c.* His expeditis, scena vanuit & theatrum, urna iudicaria & illustris aula, seque Martinus iterum suo in musco vel depositum vidit, vel à raptu mentis quasi à profundo somno expergefatum; inde laudibus extulit, & elogiis Iustum Iudicem condecoravit, qui etiam suis in vicariis flagitia proscindat, & seu mutos, seu aliis etiam vitiis contaminatos Curiones æternâ mergat abyssò.

Dicite modò AA. quem hæc Iudicia non terreat? hæc quis audiat, & unâ muneri suo, curæ suæ indormiat? hæc quis resciat, & adhuc molli brachio decumanas suorum pravitates attingat? fuerit Curio ille aliis etiam flagitiis coopertus; fuerit bibo, lusor, thrafo, leno, eucelio &c. tacuit tamen primus chorus hæc vitia & unum *va mutis & pravis pastoribus occinuit: va pastoribus Israël &c.* ut omnibus constaret, non tam propter illa tetri nominis flagitia, quam

F.

Conclusio
inde tam à
Curioni-
bus, quàm
ab ipsis
etiam
Curionum
auditori-
bus forme-
tur.

quàm Verbi Divini abusum & scelerum conniventiam, seu mutos ex cathedra clamores, iudicandos & fulminandos esse animarum Curiones. His stantibus AA. quis nobis vitio vertet, si pro viribus nostris voce ac lingua multiplex scelus ex cathedra configamus, ac palàm demonstramus, quàm grandibus pœnis in orco flagitia iustum Numen castiget, in vivis non expiata. Id nisi accuratè præstiterint Curiones, caveant sanè, ne post fata serum fiant spectaculum mundo & Angelis, quod pium Numen avertat! Pergo itaque in ceptis, & singulis posthac Dominicis suam destino tragœdiam, quæ saluberrimos peccati horrores reis mentibus injiciat. Id tamen hic loci monitos velim omnes. Gravia scelera justissimè à Deo castigata si adduxero, nemo de me præsumat, quasi meos AA. iisdem pravitatibus mersos credam & contaminatos. Huc minimè tendit historica narratio. Ut tantò fortius grandia scelera caveantur, similes tragœdiæ fusiùs enarrantur. Hic omnium ob oculos versetur illud (21) Aug. *Non est homo, qui non possit facere, quod fecit alter homo, nisi hominem gratiâ suâ præveniat homo, qui pro homine factus est homo.* Cautelæ locò dicuntur, quæ tragicè proponuntur, ut boni reddantur meliores, pravi alienò damnò fiant cautiore. Si proin meo ex officio uni vel pluribus veritatem dixero, me posthac ab omni vitio mei AA. absolvent, & locum dabunt sanctæ veritati. Ego omnes in Domino amplector, ut tamen in illorum gratiam tanto cum salutis propriæ periculo veritatem subterfiscam, nemo somniet. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica Veritas, ea maximè quam *primam* dicimus, Iesus Christus Dominus noster, cui sit laus & gloria in secula. Amen.

(21) S. Aug.
l. de. Grat.



Dom.